

S O L I S.

IIII.

Longitudo media est punctus circumferentiæ inter augem & oppositum augis. Et in sole determinatur per lineam, quæ à centro mundi exiens facit rectos angulos cum augis linea. Tali duo tantum in eodem eccentrico reperiuntur.

ῥόλιον.

Longitudinis vocabulo generaliter utuntur recentiores in hac doctrina pro distantia, ut longitudo longior sit summa vel apogæa distantia, prior autem longitudo minima distantia. Media igitur longitudo erit media distantia, hoc est, cuius æqualis est differentia ad utranque extremam distantiam, maximam scilicet, & minimam. vel, quæ par est semidiametro Eccentrici. Apud Ptolemæum hæc sunt adpellationes, *μεγίστη, μέση, καὶ ἐλαχίστη ἀπόστασις ἢ ἀπόστημα.* Numeris autem facilis res iudicari potest, ut quia *ἕκαστος* solis iuxta Ptolemæum erat duarum partium cum semisse unius fere, qualium semidiameter Eccentrici 60, maxima distantia à terris continebit 62 partes cum semisse, minima 57. partes cum semisse. Inter has media est 60 partium æqualis semidiametro Eccentrici. Porro admonendus est studiosus lector à Purbachio & alijs recentibus scriptoribus in hoc genere vocari longitudes medias ea loca Eccentrici circuli, in quibus fit maxima æquatro, seu, ut Ptolemæi verbis utar, *μεγίστη διαστάσις τῆς ὀρθῆς κλίσεως παρὰ τὴν ἀνωμαλίαν.* Hæc autem loca

¶ ij

in alijs.